



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Basilea Sacra Sive Episcopatus Et Episcoporum Basileensium Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

43. Berchtoldus II. Comes à Pfirt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11463

Anno
Christi
1250.

BERCHTOLDVS II.

Comes à Pfirt.

Basileensis Episcopus.

XLIII.

MOrtem Friderici I l. Imperato-
ris, quem publicis execratio-
nibus & Anathematis à piorum cœ-
tu proscripserat Innocentius, secu-
tum est interregnum ab anno 1250.
ad annum usque 1272. quo Rudol-
phus Habsburgici nominis prima
gloria, post electionem suam ad Im-
perij columnen, finem tot turbis im-
posuit, Germaniam virtutis amabili
sua maiestate serenans, quam patri-
am fœdè turbaverat Conradus Fri-
derici filius ambitiosâ cupiditate re-
lictum nuper à Patre sceptrum repe-
tens; donec tandem, urgente Inno-
centio, Electores Friderico Henri-
cum Thuringiæ Landgravium, Hen-
rico

rico deinde Guilielmum Hollandiæ Anno
Comitem subrogant. Sed & hoc, Christi
cæso immaniter, adeo brevis est & 1250.
periculosa dignitatum usura, rur-
sum scissa est factionibus, civilibus
bellis & cladibus lacerata Germania.
Adversus hos patriæ tumultus ut se
nonnihil communiret Berchtoldus
Basileensis Episcopus, cum aliis Epi-
scopis & Rheno adsitis urbibus non
paucis, fœdus icit. Urbium, Princi-
pūmque nomina, qui ad mutuam
defensionem conspiraverant, recen-
sent Annales Steronis ad annum
1247. tom. 1. Antiquitatum Henrici
Canisij. Mortuo Sueviæ Duce Fri-
derico anno 1254. in potestatem Ba-
sileensis Episcopi rediit Brisacum,
jure scilicet ad ipsum revolutum, post-
quam feudum illud (quo nomine
Brisacum concessum erat) cum
morte Friderici extinctum est. Un-
de, versiculos istos, indoctis tempo-

Anno
Christi
1250.
ribus elegantes, in arce Brisacensile-
gere est.

*Annos centenos Domini per bis lege
Senos,*

*His quinquagenos & quatuor adice
plenos,*

*In quinto denas Julio faciente Ca-
lendas,*

*Pontifici cedit Brisacum, jurat, obe-
dit.*

*Matri Virginea faciendo fidem Ba-
silea.*

*Hic Pfirretorum genus ortu Praesul
auorum,*

*Berchtoldus, tenet hanc, quam Dux
sibi struxerat aulam.*

Vnde patet, Brisacum etiã ante hæc
tempora spectâsse ad Principes, &
Episcopos Basileenses. Anno 1252. Ru-
dolphus Habspurgicus nobilium
forti

forti stipatus manu, in summo noctis silentio Basileense suburbium hostiliter invadit, diripit, ac incendit Coenobium vulgò in Lapidibus dictum. Episcopus amaro non potuit non sentire animo irruptionem hanc. Quare Pontificem summum, Innoc. IV. litteris edocet, quid à Rudolpho perpetratum sit impotenter. Auditis querelis Episcopi, Pontifex nihil cunctatus, Bullam Agnaniæ 18. Augusti, anno 1254. datam expedit, qua jubebatur Episcopus reis denunciare Excommunicationis diras, donec illata damna Priorissæ, & Conventui refarcirent. Sed hoc feveriori genere remedij tantum abest, ut secuta sit exacerbatorum animorum conciliatio, quin potius graves inimiciæ & odia Rudolphum inter, & Berchtoldum accreverint. Et Episcopus quidem, ut securior, credo, rebus suis prospiceret adversus

Anno
Christi
1254.

Anno
Christi
1254.

Rudolphi machinationes & insidias, arcem Brisacensem à Berchtoldo II. Zeringiæ Duce, durante bello Burgundico excitatam, communiendâ omni ope curavit, pecuniis ad eas impensas, 420. argenti marcis, ut vocant, mutuo acceptis à Godefrido Stauffeni Præfecto sive Marschallo, cui cedit interim in pignus, annis viginti duobus possidendas villas & annexum Patronatus jus in Bischofingam & Kirchhofium in Brisgoia. Agnoverunt lubentes anno 1264. palamque professi sunt Brisacenses Cives, confectis ritè tabulis, se, unâ cum monte, quem habitant, ditio- nis esse Ecclesiæ Basileensis. Richardus etiam Romanorum Rex anno 1265. edixit, Brisacum & Monasterium Vallis S. Gregorij cum omni suo jure, Basileensi Episcopo subesse. Certè præter alia jura regalia, jus monete Brisacensis spectabat ad Episcopum

scopum Basileensem, oppignora-
tūmque fuit à Ioanne de Vienna Epi-
scopo. anno primūm 1367. Burcardo
Sporero ab Eptingen, & subinde
anno 1378. Comiti VValraffo Thier-
steinio centum argenti marcis. Id
ipsum jus sat superque comprobat
numisma censūs, quod etiamnum
singulæ ædes Brisaci quotannis pen-
dere solent, & nunc, post extinctos
Vice-Dominos, Offenbürgeriani Ba-
sileæ ab Episcopis se in feudum reti-
nere agnoscunt.

Anno
Christi
1258.

Anno 1258. horribili conflagravit
incendio Basilea, illato quoque Ec-
clesiæ Cathedrali detrimento gravif-
simo. Quo ferè tempore Conra-
dinus Conradi Sueviæ Ducis filius
unicus, ut recuperaret avitum Sici-
liæ, & Appuliæ regnum, in Italiam
cum exercitu penetraverat, ausūsq;
prælio congregi cum Carolo Ande-
gavensi Sancti Ludovici Galliæ regis
fratre,

Anno
Christi
1258.

fratre, victus acie, proditusque annuli fulgore, dum naulum pendere vellet Piscatori, cuius lintre ab insequentium manibus eripi poterat, retrahitur è fuga unà cum Friderico Austriæ hærede, ac uterque crudeliter truncatur capite, 29. Octob. 1267. multis ab ipsa posteritate deplorati lacrymis, ut qui essent longiori vitâ ob natales & ætatis florem dignissimi Principes. Quam cædem Tragicam prolixè describit P. Andreas Brunner, tom. 3. histor. Bavaricæ l. 4. sub finem, & alij Scriptores.

Anno 1257. 14. Cal. Maij Berchtoldus Oelenbergense Monasterium auxit proventibus, qui ex Rammersmatten percipiuntur, ut patet ex litteris eiusdem monasterij. Et ipse porro, posthabitâ, nisi fallor, præteritorum memoriâ, colloquio familiari cum Rudolpho egit subscripsitque instrumento, quo idem
Ru-

Rudolphus Habsburgicus Comes, *Anno Christi*
bona quædam VVettingensi Cœno-
bio assignavit anno 1259. Brevi post,
ubi annis 13. præfuiſſet Berchtoldus
Episcopatus, obiit, 10. Dec. 1262.

HENRICVS III. 1263

Comes Neoburgensis.

Basileensis Episcopus.

LXIV.

ALtero, postquam vitam posuit
Anno Berchtoldus 1263. Episcopi
munus admisit Henricus Neobur-
gensis, Ulrichi Neoburgensis Comitis
filius, cuius terni fratres amplissimas
parentis & opulentæ familiæ non
minùs quam illustris fortunas ita in-
ter se sortiti sunt. Primo in paternæ
hæreditatis divisione obtigit Neo-
burgum ad lacum : Secundo Ar-
berga: Tertio Nidavvium, & Straf-
berga. Sorores Henrici, suâ quæli-
bet